



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel


Parisiis, 1679

I. Disputatur de Sophinae patria, & tribu,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

Hab. 1. 6. buchodonofore Judæam vixiffe Habacucum, & vaticiniis inclaruiffe. Verum id argumentum infringit ipfe commate fequenti, cum ait: *Ecce ego fufcitabo Chaldaos*: nondum ergo fuerant fufcitati, quos fufcitaturum fe Deus prænuntiat. Sed & Ebraicum exemplar, non futurum habet, *הַבְּרַחַם* faciam, fed Benoni *הַבְּרַחַם*, quod Ebrais præfentis, quo carent, vice fungitur. Itaque Septuaginta id reddunt: *ἐγὼ ἐγὼ ἐργάζομαι*: Opus ego facio: Hier. in Hab. & Symmachus, juxta testimonium Hieronymi: *Opus fiet in diebus vestris.*

1. 3.



DE PROPHETIA SOPHONIÆ.

I. Disputatur de Sophonia patria & tribu, II. & etate. III. Probatur Prophetia Sophoniae *γνησιότης* & antiquitas.

Disputatur
de Sophonia
patria &
tribu,

Epiph. De
Vit. Proph.

Doroth. De
Vit. Proph.

1. Par. 4. 17.
Gen. 14. 14.

R. Aben Ezra
& R. Dav.
Kimchi in
Soph. 1.

& etate.
Soph. 1. 1.
Hobb. Levial.
cap. 33.

1. Par. 14. 3.
Soph. 1. 4. 5.

Soph. 1. 9.

4. Reg. 23. 4.
1. 6. 10.

I. **P**ROPHETIÆ Sophoniæ lemma hoc præfixum est: *Verbum Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godolia, filii Amaria, filii Ezechia, in diebus Josia filii Amon regis Juda.* Inde Sophoniam vere Prophetam Dei fuisse cognoscimus; tum & quibus parentibus ortus sit, & quo tempore vixerit. Si patria ac tribus, unde prodiit, fuissent appositæ, nihil ultra requireremus. Verum occurrit desiderio nostro supposititiis ille Epiphanius, sæpe jam in partes vocatus; nam Sarabathia monte ortum fuisse tradit. At sibi non constat in montis hujus nomine, ut neque in variis Libri illius locis Codicum fides; alii enim habent *Baratha*: Pseudo-Dorotheus scribit *Sabarithara*. An *Sarathasar* legendum, quem locum montanum fuisse intra terminos Rubeniticæ tribus discimus ex libro Josuæ: an *Saredatha*, quem commemorant Paralipomena, & Sarthan esse volunt quidam? an *Barad*, inter quem locum & Cades statuit Moses Puteum Agaris? Addit Epiphanius fuisse tribu Simeonitam, cum eum tamen Ezechia regis Juda abnepotem, proindeque de tribu Juda oriundum fuisse ratus sit Aben Ezra, auctor inter Ebraeos non inutilis: quam opinionem nec admittit, nec rejicit R. David Kimchi. Quibus argumentis hanc opinionem secutus sit Aben Ezra, nescio; profecto tempora apte conveniunt, neque alia videtur fuisse causa, cur initio Libelli hujus, non pater solum Sophoniæ sit appositus, sed explicata præterea stemmatis serie, genus ab hoc capite contra Scriptorum sacrorum, Prophetarumque omnium morem sit repetitum, quam ut clarissimo & sanctissimo parente prognatum fuisse Prophetam appareret, neque nobilitatis tam præclaræ & illustris honore fraudaretur. An ita sensit Cyrillus, cum fuisse eum ait *ὁ ἐκ ἀμύσης τὸ κατὰ σάρκα πατήρ*, non ignobilem genere secundum carnem? an propter commemoratos proavos minime quidem ignobilem credidit, quod & R. Davidi Kimchi visum est, non vero regia stirpe ortum? Veri quidem id similis est, quam quod aliis ex eadem Ebraeorum gente persuasum est, descripta hic fuisse ab abavo ulque parentum nomina, quod Prophetæ essent; cum pro certo inter eos constet, quorumcumque Prophetarum nominantur in Codicibus sacris parentes, Prophetas & hos fuisse.

II. **A**tatis ipse suæ tempus cum definiaverit Sophonias, Josia regnum Judæ tenente vaticinatum se dicens, satis pro merito culpæ non possum Thomam Hobbesium, cum Prophetarum omnium antiquissimum Sophoniam, & Amasiam ac Osiam coævum facit. Eorum vero mihi impense probatur ratio, qui sub initia Josiæ propheticum munus capessivisse ipsum affirmant, antequam profanos & sacrilegos idolorum cultus à Manasse inductos Josias sustulisset, quod in duodecimum ipsius annum ab inito regno Paralipomena conferunt. Flagitiosos enim & impios Judæorum ritus hac objurgatione arguit: *Extendam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerusalem: & dispergam de loco hoc reliquias Baal, & nomina adituorum cum Sacerdotibus, & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Deinde: *Vistabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa; qui complent domum Domini iniquitate & dolo.* Nempe hæc ipsa sunt, quæ Josias præstitit, ut discimus ex postremo Regum: *Præcepit Rex Helcia Pontifici, & Sacerdotibus secundordinis, & janitoribus, & projecerunt de Templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luto, & universæ militiæ cæli. Tum: Et delevit eos qui adolebant incensam Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli, & efferi fecit lucum de domo domini foras Jerusalem.* Deinde: *Contaminavit quoque Topheth, quod est in convalle filii Ennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloch.* Verumtamen, ne sic quidem elisis penitus impietatis radicibus, novis ipsos commonitionibus Jeremias identidem urgebat: sed ita tamen ut non tanquam hujus temporis noxas, sed tanquam vetera